



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VII. An pectum legis commissoriæ adjectum contractui pignoris sit  
licitum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sum debitum, & expensæ factæ in rem pignoris nomine obligatam æstimantur, omne debitum penitus dissolvatur, ex utroque iterum jure, & præteritum ex cap. Cùm contra 6. h. e. & ex natura usuræ prohibita constat, quia cùm debitor maneat Dominus pignoris, consequenter fructus ex illo percepti ad hunc spectant, vel certè æstimatio illarum ipsi debetur, nisi in compensationem expensarum, quas in re pignori concessâ conservandâ fecit creditor, aut in locum pensionis, vel interesse, justè debiti, dum capitale restituatur, fructus relinquuntur. Et hinc communiter tres casus assignantur, in quibus fructus pignoris in sortem computari non debent; si scilicet & fundus feudalis in pignus Domino directo datus sit, & interea, dum debitum dissolvatur, obsequia à vasallo præstanda, illi remittantur, ut dictum; & si pro dote fructus pignoris marito percipiendi relinquuntur, ad onera matrimonii ferenda; & denique si rei suæ, injustè ab altero possessæ, nunc autem in pignus datæ, fructus percipiat, quia in tali casu per viam occultæ compensationis rediit, quod justè ad se spectabat.

## §. VI.

*Utrum venditio rei cum pacto revenditionis, ad arbitrium emptoris, recipiendo aliquid ultra sortem, sit vera & licita venditio, an verò potius contractus pignoris, sed illicitus, & usurarius?*

Videatur de hac questione §. 7. Tit. 17. h. libro & cap. Illo vos 4. h. e.

tibi certa etiam quædam signa afferuntur, præsumendi nonnunquam in tali casu pro pignore, & contractu usurario.

## §. VII.

*An pactum legis commissoriae adjectum contractus pignoris sit licitum?*

**P**actum legis commissoriae in contractu pignoris v. g. tum censetur fieri, quando partes inter se conveniunt, ut si debitum v. g. ex mutuo intra certum tempus à debitore solutum non sit, pignus pro debito eo asservando datum, cadat in commissum, sive creditori cedat, cujuscuque, excedentis etiam pretii sit: quod pactum ab utroque jure in contractu pignoris reprobari, tanquam usurarium etiam ex cap. Significante 7. h. e. patet, quamvis enim hoc pactum legis commissoriae in venditione, & emptione permissum sit, ita, ut si pretium pro re vendita intra certum tempus solutum non fuerit, res sit inempta; in contractu pignoris tamen pactum hoc reprobatum, quia in illo casu nulli fit injuria, cùm penes emptorem maneat pretium non solutum, & penes venditorem maneat res inempta; in contractu autem pignoris, si tale pactum concederetur, non tantum grave sæpius damnum incurrere posset, qui pignus dedit, & rem plerumque pretiosiore, quam sit ipsum debitum, oppignoravit, sed plurimæ usuræ palliarentur ultra sortem accipiendo aliquid in mutuo pro sola mora in solvendo sæpius non culpabili; quod pactum in pignore adeo juri odiosum est, ut nec juramento addito firmetur (cùm juramentum non sit vinculum iniquitatis)

nec



nec beneficio legis, prohibentis hoc pactum, renuntiare possit debitor (cū publicæ utilitatis causâ, hoc pactum reprobatur sit) nec ullâ consuetudine, tanquam licitum, & validum introduci possit, cūm aduersetur juri naturali. Sunt tamen aliqui casus, in quibus pactum legis commissoriæ licitum videtur. Primò, si conventum sit inter partes, quòd pro debito non soluto intra certum tempus, pignus in solutum cedat creditori, pro iusto tamen pretio, sive quanti a stimabitur à prudente arbitro, & quod superat debiti valorem in pignore, reddatur debitori, quia in tali casu, nec creditor habet aliquid supra sortem, nec debitor damnum patitur, rem pretiosiorē pro minore debito amittendo. Secundò valere censetur hoc pactum in favorem dotis, nondum quidem solutæ, per pignus tamen oblatum interim assecuturæ (quod tamen non omnes concedunt) cūm enim, qui dotem constituit, plus etiam dare possit, quàm promiserit in dote, consequenter ex illius liberalitate, videtur excedens in pignore pretium provenire, nisi ex verbis illius, qui pignus tale dedit, aliud colligatur. Tertio putant aliqui licitum esse, & valere hoc pactum legis commissoriæ, si non ab initio, vel immediatè post, sed ex intervallo pignori adjiciatur, quasi tunc cesset suspicio fraudis, rectius tamen putant alii, neque hoc in casu adjectum hoc pactum licitum esse, cūm usuram sapiat, quocunque tempore adjiciatur, nisi in primum casum permissum pactum hoc explicetur.

## §. VIII.

*De cautione usufructuarii.*

Quæritur hic utrum, & qualem cautionem præstare debeat usufructuarius, quando usufructus rei alicuius generis concessus est. Et respondetur primam quæstionem affirmativè, debet enim cavere, quòd rebus immobilibus, v. g. in quibus usufructum habet, salvâ rerum substantiâ uti, frui, vendendum boni viri arbitrium, ita in substantiam rei non sit deteriorē facturum, & quòd finito usufructu restituere sit Domino proprietatis, aut heredibus eius, quidquid ex re in usufructum concessa, superfluerit (neque enim per hoc, quòd usufructum habet in re, aliquis, dominium proprietatis in illa re acquirat; sed tantum jus utendi, vel utendi illâ re, sicut vir bonus, & prudens rebus propriis uteretur) & si res in usufructum concessa ipso usu absumatur, uti pecunia, &c. in quibus quilibet usufructus conceditur, cavere debet, quòd finito usufructu tantumdem ejus quantitas res, vel certè æstimationem illius rerum restitui velit: & quomodo, si uni rem immobilem fructuariam perperam, quoad dominium proprietatis, autem ejus rei usufructum, remittere non possit usufructuario, cautionem præstandam, ne proprietario præjudicet, usufructuarius ad delinquendum vellet, potest tamen eam remittere proprietario, sive hæres ille sit, sive legatarius, cūm lex tantum testatori prohibet hanc remissionem, potest tamen in favorē proprietarii, cui hic cedere potest, tanquam favori pro se introducto.